

ram referat, an verbis voluntatem suam quis declaret, vel rebus ipsis, l. *De quibus*. ff. *de Legibus*. Quinimo plus sit factis demonstrare, quam verbis dicere, c. *Dilecti*. 52. juncta Glossa: *ŷ. Facto provocare, de Appellat.* cum similibus.

482. *Secus, si Pontifex ignoret defectum, nec aliud exprimat.* — Additur notanter primo, « Papa scienter assumens, » etc. Nam si Pontifex ignoret defectum, certum est, quod in ipso dispensare non intendat, nisi id expresserit, puta addendo clausulam illam, « Supplentes omnem defectum, » vel dispensando ad cautelam. Navarrus cit. except. 40, n. 3, post Innocentium in c. *Sciscitatus*. *de Rescript.* et alios. Secus, si Papa scienter assumat inhabilem ad officium, etc. Neque tunc obstat regula 54 Cancellariæ, quæ inscribitur, *Super dispensationibus*, et in qua Pontifex vult, « quod per quæcumque signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimat, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur, » prout sonant verba ejusdem. Non obstat, inquam, dicta regula: quia in casu, ubi Papa scienter assumit inhabilem ad officium vel dignitatem, talis gratia veluti inhabili data nihil conferret, aut operaretur, nisi simul Pontifex ad tollendam inhabilitatem tacite dispensaret; ac proinde subintrat postrema limitatio, eidem regulæ jam inserta. Alioquin vero gratis conceditur, quod non censeatur dispensatum a Papa, nisi specialiter exprimat dispensatio, ut notat Gonzalez ad reg. 8 Cancell. gloss. 15, num. 29; Parisius *de Resignat.* lib. IV, quæst. 3, n. 66; Laurentus de Franchis, in *Controversiis inter episc. et regul.* n. 201.

483. *An idem dicendum de episcopo, scienter promovente inhabilem? Quomodo verum sit, quod Papa non censeatur dispensare, nisi hoc specialiter exprimat?* — Additur secundo « Non item episcopus nisi, » etc. Quamvis enim etiam episcopus in casibus sibi concessis, ac subsistente rationabili causa dispensandi, censeatur ipso facto dispensare cum inhabili, v. g. ad ordines suscipiendos, quando ipsum scienter ordinat, ne alioquin delinquere vincatur promovendo inhabilem; ut docet Abbas, cit. cap. *Præterea*, n. 11. *de Testibus cogend.*, et Sylvester, *ŷ. Irregularis*. q. 78, et Barbosa part. II. *de Offic. et potest. episc.*, allegat 48, n. 17. cum aliis.

Nihilominus est differentia inter Papam et episcopum: quia Papæ dispensatio est valida, etiamsi fiat absque causa, ac proinde Papa præbens aliquid ei, ad quod ipsum novit jure humano esse inhabilem, semper cum ipso dispensare intelligitur. Secus est in episcopo, utpote cujus dispensatio circa legem superioris facta sine causa rationabili, non subsistit: ac proinde, ne temere dispensando delinquat, ipsamque dispensationem periculo nullitatis exponat, non præsumitur episcopus velle dispensare, nisi procedat cum causæ cognitione, præcognoveritque hujus justitiam, et rationabilitatem: vel nisi circa propriam dumtaxat legem suam casus emergat; quia hic valet dispensatio ejus, etiam sine causa, ac proinde scienter promovendo inhabilem, ipso facto dispensasse præsumitur, ne derelinquere convincatur scienter promovendo inhabilem.

§ XIX.

DE REVOCATIONE LEGUM, SEU CONSTITUTIONUM.

484. *Abrogatio legis, derogatio legis.* — Quæritur I. Quid sit abrogatio, derogatio, et irritatio legis, et quomodo differant? Resp. Differre in hoc: quia *Abrogatio* legis significat totalem cassationem, seu sublationem legis; sive dein totaliter cassetur, seu tollatur per ipsummet legislatorem, aut ejus successorem; sive per contrariam consuetudinem legitime præscriptam, de qua alibi. *Derogatio* legis econtra est, cum lex ex parte solum tollitur, quatenus legislator unum vel alterum legis articulum mutat, aut a generali constitutione certos casus speciales excipit. Patet hoc ex l. *Derogatur. de Verb. signif.* ibi: « Derogatur legi cum pars detrahatur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. »

485. *Irritatio legis, quid, et quomodo differant?* — Tandem *Irritatio* legis fit quando lex ab inferiori magistratu instituta, auctoritate superioris rescinditur, seu irrita et nullius valoris efficitur: ut si leges ab episcopo latæ, auctoritate summi Pontificis annullentur, seu rescendantur, ita ut irritæ et inanes, ac nullius firmitatis esse incipiant. Et eodem modo per ipsamet leges non raro diversi actus, vel contractus, si fiant contra juris dispositionem, vel non servata forma in eo præscripta, irritari solent: ut c. *Quia propter, de Election.*, ibi: « Aliter electio facta non valeat, » etc. et c. *Decet domum*, § fin. *de Immunit. Eccles.*,

in 6 et l. *Non dubium*. C. *de Legib.* et l. 1, ff. *de Feriis*, et alibi sæpe.

486. *Leges semel late possunt denuo revocari.* — Quæritur II. An leges semel juste late, possint denuo revocari? Resp. Leges semel late justis de causis denuo revocari, et abrogari, atque immutari possunt, tum per ipsum legislatorem, tum per ejus successorem. Ita communis doctorum; et præter jura mox alleganda, constat ex praxi. Sic enim multæ leges antiquiores non solum in jure civili, sed etiam canonico reperiuntur, quæ successu temporis pro rerum ac circumstantiarum exigentia, per alias posteriores revocatæ fuerunt: ut patet ex c. *Non debet. de Consang. et affinit.* et cap. II et III. *de Censibus*, in 6, et Clem. un. *de Immunit. Eccles.* et alibi sæpe. Tacentur non paucæ constitutiones tum pontificiæ, tum imperiales, quæ novis emergentibus circumstantiis rationabiliter per successores sunt revocatæ, et cassatæ, vel saltem quoad certos articulos immutatæ.

487. *Etiam si habeant clausulam: Hac in perpetuum valitura constitutione.* — Et quidem præsens conclusio locum habet, etiamsi præcedens constitutio habeat insertam clausulam illam: « Hac immutabili, et in perpetuum valitura constitutione. » Licet enim hujusmodi emphatica locutio de sua vera, et propria significatione denotet perseverantiam illius constitutionis sine aliqua temporis præfinitione, l. *Pure* § fin. ff. *de Doli mali except.* et l. 3. ff. *de Exceptionib.*, velitque, quod nulli subditorum (ad hos enim loquitur lex) liceat imposterum immutare, aut secus agere: nihilominus potest successor ipsam tollere, seu abrogare, aut eidem quoad certos articulos derogare. Quia, ut c. *Innotuit. de Elect.*, generaliter notatur, « Prædecessor successoribus suis nullum potuit hac in parte præjudicium generare, pari post eum, imo eadem auctoritate functuris; cum non habeat imperium par in parem. »

488. *Non tatem leges sunt revocandæ absque justa causa. Omnès mutationes sunt periculosæ. Novitates plerumque pariunt discordias.* Additur notanter. 486, *justis de causis* Quia lex debet esse necessaria, seu non tradi, nisi ex instanti necessitate, can. *Erit autem lex*, dist. 4. juncto can. *Regulæ*. dist. 29. Atque, ut l. 4. ff. *de Legib.* notatur, « ex iis, quæ forte uno vel altero casu accidere possunt, jura non constituuntur. » Præsertim vero, quod leges non nisi gravi de causa sint

abrogandæ, aut immutandæ, recte monet imperator, l. 3. ff. *de Constitut. princip.*; ibi: « In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. » Siquidem, « omnes mutationes sunt periculosæ. » ut habet aphorismus Hippocratis, quem refert Navarrus in tract. *De Redditib. ecclesiast.*, monit. 12, numer. 1, quia, ut attestatur etiam Pontifex in extravag. *Inter cunctos* § *Sane, de Privileg.* « Plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim, dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest. »

489. *Justæ causæ revocandi, et mutandi, leges quæ?* — Porro causæ justæ mutandi leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando, præcipue sunt: si « Magistra rerum efficax experientia (ut appellatur c. *Quam sit. de Election.* in 6.) manifestat legem aliquam, quæ a principio speratur futura utilis, bono publico non expedire: » aut si lex a principio fuerat utilis, postmodum mutatis rerum circumstantiis desinat esse utilis, et conveniens communitati. Leges enim juxta diversitates locorum, et temporum, et causarum, oportet esse varias, et conditioni hominum, atque provinciarum, quibus traduntur, accommodatas, can. *Regulæ*. et can. *Necesse est*, dist. 29. Et hinc pro talium circumstantiarum variatione diversæ nonnunquam eduntur leges, seu constitutiones; prioresque pro loco, tempore, et personarum conditione temperantur, suppleuntur, aut etiam corriguntur per posteriores.

490. *Hæ exemplificantur.* — Sic fit in c. *Non debet; de Consang. et affinit.* allegata illa ratione: « Non debet reprehensibile judicari, si secundam varietatem temporum statuta quandoque mutantur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat nonnulla mutavit in Novo. » Item in c. *Alma mater.*; *de Sent. excomm.*, in 6. « Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius et rationabilius revocat, in meliusque commutat; » ubi Glossa marginalis post Baldum in l. 1. C. *de Caducit. tollend.* inquit; « quod sicut medicus secundum tempora alterat medicinas, ita legislator leges. » Hinc illud vulgatum inter juris-

consultos : « Concorda tempora, et concordabis jura : » prout notatur can. *Si peccaverit*, 2. q. 1. juncta Glossa in can. *Si Ecclesia*, 23. q. 4. §. *Temporibus*.

491. *Nova lex, sive constitutio principis, tollit priorem sibi directe contrariam, etiam non facta hujus mentione.* — Quæritur III. Quando lex prior censeatur esse sublata per posteriorem? Resp. I. Nova lex, seu constitutio principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. Ita communis doctorum; estque clare decisum cap. 1. *de Constitut.*, in 6; ibi : « Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censeatur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur, » etc. Accedunt alia jura et rationes, de quibus jam dictum fuit in præmio. § 12. n. 211 et seqq. ubi etiam declaratur, quia ratione summus Pontifex omnia jura in scrinio pectoris sui censeatur habere. (ADNOTATIO XXII).

492. *Alias, si non sit directe contraria; oportet jura juribus concordare.* — Additur notanter, « sibi directe contrariam. » Alioquin enim, si non interveniat talis contrarietas, ac proinde apta textuum conciliatio reperiri possit, oportet jura juribus concordare, c. *Cum expediat*, 29, *de Election.* in 6, eorumdem correctionem veluti odiosam evitare, prout amplius dictum est in præmio § 12, num. 201 et 202. Unde, quotiescumque lex posterior videtur contraria priori, nunquam debet summi sensus correctionis, si possunt alio modo conciliari : idque procedit, etiamsi lex posterior contraria habeat clausulam derogatoriam « Non obstante : » adhuc enim non sumitur correctio, si possit fieri conciliatio, card. Tuschus lit. C, concl. 1036, n. 4 et seqq. ubi hoc etiam docet, quando adesset dictio taxativa; Barbosa, axiomat. 60, n. 5, citans alios quamplures.

493. *Et hoc extenditur ad statuta, publica instrumenta, testamta aliasque dispositiones, pariter pro possibili concordandas.* — Et hæc doctrina etiam extendenda est, et applicanda ad statuta, publica instrumenta, testamta, aliasque dispositiones : nam in his quoque correctio, veluti odiosa, pro possibili est evitanda; ac proinde oportet illa, quæ nonnihil contraria apparent, benigna interpretatione inter se conciliare, studioseque ad concordiam revocare, prout melius fieri poterit. Elegans hujus exemplum habetur in c. *Exit.*

§ *Imprimis*. §. *Nos obscuritatem, de Verb. signif.* ubi Pontifex hac ratione declarat, atque ad concordiam reducit verba aliqua contenta in regula fratrum minorum. Accedit ratio, tum quia nemo præsumitur sese in continenti corrigere circa eandem dispositionem, arg. 1. *Non ad ea*, ff. *de Condition. et demonstrat.*, juncta Glossa §. *Præsens* et l. *Cum hic status*. § 1. ff. *de Donationib. inter virum et mulier.* ac docet cum aliis Barbosa, axiomat. 60, nu. 7, et card. Tuschus, lit. C, concl. 1046; tum quia potius est interpretanda res, ut valeat, quam ut pereat, arg. c. *Abbate* 23. juncta Glossa §. *Valere potius, de Verb. signif.* Atque ut loquendo in specie de ultimis voluntatibus, l. *Sancimus*, 27, C. *de Testament.* habetur : « Quod non mutatur, quare stare prohibetur? » Quasi diceret : nullo modo; tum tandem, quia etiam dicta testium, si fieri potest, inter se concordanda sunt, ne perjurii reatu notentur, c. *Cum tu*, 16, *de Testibus*. Neque enim diversitas obstat verborum, si idem in substantia dicatur, c. *Nihil obstat, de Verb. signif.*

494. *Etiam verba impropriando.* — His adde, quod correctio jurium, statutorum, atque aliarum dispositionum in tantum sit vitanda, ut in dubio, ac nisi secus sufficienter exprimat, ad inveniendam competentem quamdam conciliationem recedendum sit a propria significatione verborum, et hæc sint improprianda. Quamvis enim verborum proprietas cæteroquin in dubio sit attendenda, ut dictum supra § 16, num. 390, id tamen procedit solum, quando per aliam legem non habetur interpretatio ipsorum. Glossa ad l. 1. §. *Edicti*, in additione, ff. *de Exercitat. action.* post Baldum, ibid. et Abbatem in c. *Audientiam*, n. 2. *de Decimis*, post Joan. de Lignano, docentem recurrendum esse ad verba, quando sunt clara : si autem sint dubia, tunc faciendam esse interpretationem per alias leges, si fieri possit; quia jura debent juribus conciliari. Insuper, quod licitum sit recedere a proprietate verborum, ut evitetur jurium contrarietas, atque correctio, tradit Jason in l. *Per omnia*, n. 48 et 49. ff. *de Legatis*. l. post. Glossam. l. *Non dubium*. §. *Amplexus*. et Bartolum, ibi. C. *de Legibus*, et rursus Abbas in c. *Cum olim*, numer. ult. et ibi Glossa fin. *de Sentent. et re judic.* ubi verbum illud, « Plena omnium vestrum interveniente concordia, » dicit debere impropriari, sive improprie accipi, atque reduci ad terminos juris antiqui, ut verificetur in majori,

et saniori parte capituli : ex quo aliter non apparet principem jus antè voluisse immutare. Idipsum tradunt Felinus in c. *Non potest*, § *Limita dupliciter, de Sent. et re judic.* Imola c. *Cum dilectus*, n. 12, *de Consuetud.* Alexander, consil. 85, n. 12, lib. iv et alii.

495. *Imo et per sensum subauditum talia ad concordiam revocanda.* — Insuper correctio jurium, statutorum, atque aliarum dispositionum adeo est evitanda, ut si fieri potest, etiam per subauditionem, sive sensum subauditum, debeant reduci ad concordiam. Abbas in c. *Gratum*, n. 2, *de Offic. delegat.*, dicens, quod si in eodem volumine statutorum reperiuntur duo statuta contraria, debeat evitari correctio, quantum potest, et reduci ad concordiam per subauditionem; atque pro hoc suo dicto citat l. *Sciendum*, ff. *Qui satisfacere cogantur*, juncta authent. *Offerantur*. C. *de Litis contestat.* et Bartolus in extravag. *Ad reprimendum*. §. *Non obstantibus*. Alexander consil. 123, num. 14, lib. iv; card. Tuschus, litt. C, concl. 1036, n. 3; Barbosa Axiomat, 60, numer. 1 et alii. Neque enim in dubio ac nisi secus exprimat, præsumendum est, quod legislator ea, quæ prius magna cum maturitate statuta fuerunt, unico obscuriori verbo subvertere voluerit, c. *Ecclesia vestra*, 57, *de Elect.* Aut ipsimet statuente illico sese corrigere intenderint. Alexander, consil. 59, numer. 13, lib. III, dicens, quod non sit verisimile testatorem, v. g. in eodem testamento voluisse se incontinenti corrigere; unde una pars testamenti intelligitur secundum determinationem alterius, l. *Avia que*, ff. *de Conditionib. et demonstrat.* et l. *Si servus plurium*, § fin. ff. *de Legatis*, 1.

496. *Lex generalis posterior non tollit legem specialem priorem, sed per hanc distinguitur.* — Resp. II. Lex generalis posterior non tollit legem specialiter loquentem priorem, sed per hanc distinguitur, et limitatur. Ita Hostiensis in *Summa*, in *Rubrica. de Consanguinitate*. § *Nono quæritur*. Jason l. *Sciendum*, n. 2, ff. *Qui satisfacere cogantur*. Card. Tuschus, litt. l. concl. 259, n. 4; Fagnanus in c. *Cum esses* n. 88. *de Testament.* citans alios, ac præsertim, Castillo, consil. 10, n. 5, asserentem ita tenere omnes doctores. Et quod in conclusione dicitur de lege generali, seu indistincte loquente posteriori, idem, et quidem a fortiori, locum habet, quando lex generalis præcedit, et lex specialiter loquens primum subsequitur : nam tunc clarum est, quod per hanc posteriorem fiat limitatio aliqua legis

generalis anterioris, dum per ipsam fit expressa exceptio casus alicujus specialis a lege illa priori generali. Hoc prænotato,

497. *Id probatur et exemplificatur.* — Probatur conclusio. Quia, ut proxime dictum est, oportet jura juribus concordare, et quantum fieri potest, eorum correctionem evitare. Unde et in hunc finem leges priores trahuntur ad posteriores, per easque determinantur, et vicissim posteriores leges pertinent ad priores, nisi sint contrariæ l. *Non est novum*, cum seqq. ff. *de Legib.* Insuper in toto jure verum est, quod « Generi per speciem derogatur, » ut habet reg. 34. juris in 6, cum concordantiis : ac proin etiam legi generali derogatur per specialem, dum hæc illam distinguit, ac limitat; sive deinde lex specialis sequatur, sive præcedat; ut post Bartolum, Jasonem, Decium, et alios, tradit Tuschus, loc. cit. n. 11. Concordant dicta superiores § 17. n. 419 et 420. Sic v. g. leges generales de testamentis editæ, non comprehendunt testamenta ad pias causas, aut testamenta militum, vel alia privilegiata, quia de his habentur speciales leges : neque vicissim hujusmodi speciales leges circa testamenta privilegiata emanatæ, tollunt alias leges circa testamenta generaliter latas, sed has dumtaxat distinguunt, ac limitant. Et idem accidit in plurimis aliis.

498. *Lex nova generaliter lata non tollit consuetudines, et statuta particularia locorum.* — Resp. III. Nihilominus nova lex, sive constitutio principis generaliter lata non tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, et particularia statuta locorum, nisi id exprimat. Ita communis; et habetur decisum cit. cap. 1. *de Constitut.* in 6. ubi post verba n. 91. allegata protinus subjungitur : « Quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines, et statuta (cum sint facti, et in facto consistent) potest Romanus pontifex probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. » Quibus verbis datur simul ratio disparitatis inter leges pro tota communitate generaliter latas, sicque legislatori cognitatas, et inter particulares locorum consuetudines, legesque municipales, ulpote principi sæpe sæpius ignotas, de quibus proinde non videtur velle quidpiam statuere, nec easdem revocare, nisi id exprimat.

499. *Nisi id exprimat : et quomodo hoc fiat?* — Quod si vero legislator, ut puta Romanus

Pontifex exprimat, velle se derogare etiam particularibus locorum consuetudinibus, aut statutis, revera etiam istis derogatur: tunc enim ex parte ejus neque potestas, neque voluntas revocandi deest. Non quidem potestas; ut constat ex suprema ejusdem jurisdictione in subditos. Neque voluntas; ut liquet ex allegatis illis verbis: «Nisi expresse caveatur in ipsa.» Istud autem fit per clausulas generales in lege appositas, «Nulla obstante consuetudine contraria:» sive, «Non obstantibus quibuscumque constitutionibus particularium locorum:» aut simul omnia comprehendendo, «Non obstante quocumque statuto, vel consuetudine etiam immemoriali.» Nam per hujusmodi generales clausulas censentur omnia esse sublata, ac si in specie essent expressa. Layman, cap. 1, n. 12, h. t. in 6; Gailus, lib. I. *Practic. observat.* 18, n. 2. et alii.

500. *Revocatio, et correctio jurium non est inducenda per tacitos, et subauditos intellectus.* — Quæritur IV. Utrum revocatio, sive correctio jurium recte inducatur per tacitos intellectus, aut subauditum sermonem? Resp. Regula est, quod in correctoriis jurium non fiat extensio: ac proinde revocatio, sive correctio jurium regulariter non sit inducenda, seu asserenda per tacitos et subauditos intellectus. Ita Glossa singularis in c. *Cupientes. § Quod si per viginti. § Petere de Election.* in 6. ubi inquit: «Per subauditiones, et repetitiones tacitas jura revocanda non sunt, sed potius concordanda.» L. un. C. de *Inoffic. dotib.*, et c. *Cum expediat, de Election.* in 6. Hæc Glossa. Idemque tradit Fagnanus in c. *Cum dilectus.* numer. 5. de *Successionib. ab intestat.*, et c. *Accedentibus.* numer. 31, de *Excessib. prælat.* post Bartolum I. *Cum oporteat. C. De bonis, quæ liberis.*, etc. Geminianum, consil. 88 ac Innocentium: et Jason in auth., *Quas actiones.* numer. 21. C. de *Sacrosanct. Eccles.* Layman c. *Si alicujus.* 59, numer. 7. de *Election.* Everardus in loco, *A contrario sensu*; Vitalis de Cambanis, tom. I; *Tractatum*, tract. *De Clausulis*, § *Clausule quæ in præfationibus*, et alii.

501. *Idque amplius probatur.* — Conclusio hæc probatur imprimis ex juribus hactenus jam allegatis: quia videlicet jura, quantum fieri potest, sunt concordanda, eorundemque correctio evitanda, veluti odiosa; unde hæc per tacitos dumtaxat intellectus non facile asserenda. Hoc ipsum specialius probatur ex l. *Præcipimus*, § fin. C. de *Appellat.* ubi ad revocationem, seu correctionem jurium antiquo-

rum requiritur, ut contrarium in posteriori lege specialiter expressum fuerit, ibi: «Quidquid autem hac nostra lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant.» Concordat c. *Constitutio 41. de Election.*, in 6. juncta Glossa in *Casu* asserente, quod «Nos non debeamus antiqua jura dicere correctæ, nisi expresse in novis juribus correctæ inveniantur,» et consequenter per tacitos dumtaxat intellectus jurium correctio non est inducenda: siquidem non facile credendum est, quod Romanus Pontifex (qui jura tuetur) constitutionem prius magnis vigiliis, multaque sollicitudine excogitatum, bonoque communi utilem repertam; uni verbo obscuriori, et absque clara expressione subvertere, atque revocare voluerit; prout notatur in c. *Ecclesia vestra. 73. de Election.* et auth. «Ut judices sint quoquo suffragio,» § 1. collat. 2. Si enim eam revocare voluisset hoc ipsum expressisset, c. *Inter corporalia*, § *Sed neque. de Translat. episc.* Unde

502. *Unde correctio jurium non est inducenda a sensu contrario.* — Deducitur primo, quod correctio jurium a contrario sensu induci non debeat: quia videlicet argumentum a sensu contrario non fit, nisi per tacitum, et conjecturalem intellectum; atqui tale argumentum non valet, si inde sequatur jurium correctio. Unde Baldus l. *Cum paterfamilias. c. de Conditionibus insertis*, etc. in summario, inquit: «Argumentum a contrario sensu non sumitur, ubi resultat pravus intellectus contra legem.» Huc facit textus in l. *Nemo. C. Qui testamenta facere poss.* una cum dictis supra § 16, n. 408.

503. — *Etiam ex ratione similitudinis non est facienda extensio in correctoriis jurium.* — Deducitur secundo, quod ex ratione similitudinis non sit facienda extensio in correctoriis jurium. Et hinc, si statutum aliquod v. g. cæteroquin legitime factum, corrigat jus commune in uno, non censetur illud corrigere in altero ob rationem similitudinis. Glossa in Clem. 1. § *Eligatur, de Election.*; Jason in auth. *Quas actiones*, n. 22, de *Sacrosanct. Eccles.* post Glossam ibid. § *Excluduntur* Albert. Brunus Astensis, tom. II, *Tractatum*, tract. *de Statutis*, n. 116. et seqq. ac alii. Ratio est, tum quia alioquin induceretur jurium correctio per tacitos, et conjecturales intellectus, contra jura hactenus allegata; tum quia, «Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad

consequentiam,» ut dicitur l. *Quod contra ff. de Reg. juris.* Concordat textus in l. *Si vero. § De viro. ff. Solutio matrimonio*, ubi Bartolus in summario concludit: «Provisio legis contra jus commune non extenditur extra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio.»

504. *De similibus idem est judicium, declaratur.* — Nec obstat, quod de similibus idem sit judicium habendum, c. *Inter corporalia. de Translat. episc.* Et ubi eadem est ratio, eadem debeat esse juris dispositio, l. *Ideo.* et l. *Non possunt. ff. de Legibus*, juncta l. *Illud ff. Ad legem Aquiliam*, cum concordantiis. Resp. enim, quod hæc regulæ procedant solum in casibus illis, de quibus antecederet nihil fuerat specialiter constitutum, ac proinde ex tali extensione ob rationem similitudinis facta nulla sequitur juris prioris correctio: nam, cum omnes casus, atque articuli, distinctis legibus comprehendendi non possint, ob eorum multitudinem, atque diversitatem, merito statutum de uno extenditur ad alios similes casus; prout notatur cit. l. *Non possunt.* Fallunt tamen ejusmodi regulæ circa illos casus, de quibus jam antea fuit facta quædam specialis dispositio, sicque ex tali extensione in oppositum facta sequeretur prioris dispositionis, seu juris correctio: nam hæc, utpote odiosa, debet evitari, neque admitti, nisi exprimat; idque per jura, et rationes hactenus allatas: ac proinde in correctoriis restringere, non autem laxare debemus habenas, prout loquitur Laurentius de Rudolphis in *Repetit.* in can. *Monachi.* 46. q. 1. n. 16.

505. *Etiam a majoritate rationis non permittitur extensio a casu ad casum in correctoriis.* — Et hoc adeo verum est, ut quando agitur de correctione juris communis, etiam in majoritate rationis non permittatur extensio de casu ad casum. Jason in cit. auth. *Quas rationes.* numer. 17. et 21. C. de *Sacros. Eccles.* ex juribus hactenus allegatis inferens hæc (ut ait) «communem et veram conclusionem et regulam, quod in correctoriis non est licita extensio; etiam a majoritate rationis:» quam repetit, atque amplius declarat in l. *Præterea.* n. 28. C. *Unde vir et uxor.*, etc. Antonius Negusanus, tom. VI *Tractatum*, tract. *De Pignoribus et hypothecis*, n. 402.

506. *Idem non pauci docent de identitate rationis.* — Addunt non pauci doctores, quod etiam ex identitate rationis non fiat extensio in correctoriis; prout tenet Franciscus Consocius in *Repetit.* in c. *Translatio.* numer. 44.

de *Constitut.* Astensis in *Repetit.* in c. *Quamvis.* num. 163, de *Pactis*; Vitalis Namausensis tom. VIII *Tractatum*, part. I, tract. *De Collationibus*, n. 7. et 8. Et favet Anchoranus in c. *Canonum statuta*, n. 73. de *Constit.* loquendo de casu, ubi in lege ratio non est expressa: sub qua limitatione procedit quoque dictum Bartoli in summario l. *Si vero. § De viro. ff. Solutio matrimonio*, ubi ait, quod provisio legis contra jus commune non extenditur ultra id, quod exprimitur, licet eadem sit ratio.

507. *Hoc procedit, quando ratio in lege non est expressa: secus, si est expressa.* — Sed sciendum, quod hæc doctrina solummodo procedat in casu, ubi per legem ratio non exprimitur; in quo sensu allata sententia est communis. Secus est, quando ratio in lege habetur expressa: siquidem, quod propter identitatem rationis, quæ in lege corrigente exprimitur, rite fiat extensio in correctoriis, probatur ex auth. *Ut ii, qui obligatas.* etc. § 1, collat. 6, ac tenet Glossa ibid. 1. § *Ad curationem*, et alia Glossa in Clem. 1. § *Eligatur. de Election.*; Anchoranus, loc. cit. n. 73. citans Bartolum, Paulum de Castro, et alios. Petrus And. Gammarus, tom. XVIII. *Tractatum*, tract. *de Extensionibus*, num. 140; Jason. in d. auth. *Quas actiones.* n. 22, citans alios, et subjungens hoc idem dicendum esse, quando unica tantum ratio potest assignari pro lege corrigente: quia tunc ipsa habetur pro sufficienter expressa, juxta Glossam singularem l. *Quamvis.* § *Curavit. C. de Fideicommissis.* Nam taciti et expressi eadem est conditio l. *Cum quid* et ibi doctores. ff. *Si certum petatur*; Gammarus, loc. cit. n. 143. In his igitur casibus posse fieri extensionem ex identitate rationis, probatur ex eo, quia ratio legis est anima, et substantia legis, arg. l. *Cum pater. § Dulcissimis. ff. de Legatis* II. Simulque tunc alterum, cui talis identitas competit, satis intelligitur mutari ex ratione novæ legis, utpote mentem ipsius legislatoris declarante, licet id ipsum verbis non exprimat; prout in simili jam § 17. num. 429. et seqq. dictum fuit. Neque hoc mirum videatur, cum allata superius doctrina regulariter quidem procedat, patiatur tamen nonnullas alias limitationes illico afferendas. Unde

508. *Licet in correctoriis jurium regulariter non fiat extensio ultra expressa, fallit tamen hoc in certis casibus.* — Quæritur V. An nulli omnino casus dentur, in quibus revocatio, seu correctio quorundam jurium inducatur